



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

3. Columnarum ternio. In prima serie Columnaru[m] Domus sapientiae sunt Columnae tres. Quarum symbola Nubes. Fumus. Ignis: Fides. Spes Caritas. Tres virtutes Theologicae

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULUS III.

COLVMNARVM TERNIO.

*In primâ serie Columnarum Domus Sapientia sunt
Columnae tres. Quarum symbola,*

NVBES. FVMVS. IGNIS.

FIDES. SPES. CARITAS.

Tres Virtutes Theologicae.

PRINCIPIO tres sese offerunt *Columnae Domus Sapientiae*, sine quibus Domus hæc non consistit, *Fides, Spes, Caritas*. Nolim, ut meam hanc credatis esse fictionem, cum sit assertio magnorum in arte nostra Magistrorum inter quos S. Thomas Aquinas, qui proæmio commentariorum in Epistolam ad Ephesios explicans illud Psalmi LXXIV. *Ego confirmavi Columnas ejus*, nominat tres *Columnas* in Sacra-Scriptura celebratissimas, *Columnam Nubis*, *Columnam Ignis*, & *Columnam Fumi*. De *Columna Nubis* & *Ignis* frequens est mentio in Exodo. (a) Cùm enim populus Hebræus egressus ex Ægypto in terram promissionis pergeret, circumiens in solitudine annis quadraginta, Deus ei viam, qua ingrederetur, præmonstrabat, die quidem per *Columnam Nubis*, quæ præibat castra, noctu verò per *Columnam Ignis*. Scio Rupertum Abbatem, cùm disputaret super allegorica intelligentia *Columnae Nubis & Ignis*, docuisse, utramque fuisse illustrem figuram Christi. Is enim verè dici potest

(a) Exodi 13. 21. Exod. 14. Exod. 40. Num. 9. Num. 14. Deut. 1. Psal. 77. Psal. 98. Sap. 10. Sap. 18.

Columna propter rectitudinem & stabilitatem: nec non, quia ipse sustentat Ecclesiam, veluti Domum, & fulcit infirmitates nostras. In eum competit aptissimè, quod scriptum est de *Columna Nubea* Numeror XII. *Descendit Dominus in Columna, & Psalmo xcviii. In Columna Nubis loquebatur ad eos.* Christus D. rectè comparatur *Nubi*, quæ homo; *Igni* quæ Deus. Ipse viam monstrat egredientibus ex *Ægypto*, & in terram promissionis euntibus: id est, discedentibus à servitute Diaboli, Peccati, ac Mūdi, & in servitutum DEI, ac rerum cœlestium comparationem pergētibus. Vera quidem hæc sunt, sed allegoriam spectant, quam excutiemus, cum Architecturæ sacræ partem allegoricam, quæ est de Christo & Ecclesia, pertractabimus: nunc Tropologiam sectamur, & Virtutum ædificium erigimus, cujus partes non nisi homogeneæ, id est, Virtutes esse possunt.

ARTICVLVS IV.

FIDES

Columna Nubis.

EXISTIMAT S. Thomas *Columnam Nubis* significare primam Virtutum Theologicarum, *Fidem*, analogia desumpta, à materia, ejusque conditionibus, & *Columnæ* illius officii, quæ perbellè Fidei accommodari possunt. I. IMPRIMIS, erat *Columna Nubis* obscura. Exodi XIV. vocatur tenebrosa. Et cap. XL. dicitur operuisse Tabernaculum testimonii instar umbraculi defendentis ab æstu. Psalmo CIV. canit David, *Expandit Nubem in protectionem eorum.* Et ad idem referūt nonnulli illud Psalms